per aliquot horas in silentio
sedebamus ingenti horrore
et tremore ac si ante an-
geli tabernaculum manda-
tas excubias duceremus
Cum quidem clausis cellule sue
ostiis nos ibi esse nesciret
Interim colloquentium mur-
mur audivimus et mox hor-
rore quodam circumfundimur
ac obstupescentes nec
ignorare potuimus nescio
quid fuisse divinum post
duas fere horas ad nos mar-
tinus egreditur cum eo
iste sulpicius sicut apud eum
nemo familiarius loquebatur
cepit orare ut perquirenti
sibi indicaret quid illud di-
vini fuisset horroris quod
fatebamur nos ambo sensisse
vel cum quibus fuisset in cel-
lula collocutus Tunc
ille diu multumque cunctatus
sed nihil erat quod ei
sulpicius non extorqueret
invito incredibiliora forte
dicturus sum sed christo teste
non mentior nisi quis
tam sacrilegus ut martinum
estimet fuisse mentitum
Dicam inquit vobis sed vos nulli
queso dicatis Agnes. tecla
et maria mecum fuerunt
Referebat autem nobis vultum
atque habitum singularum nec
vero illo tantum die sed
frequenter se ab eis con-
fessus est visitari petrum
etiam et paulum apostolos vi-
deri a se sepius non negavit
Iam vero demones prout
ad eum quisque venisset suis
nominibus increpabat mercu-
rium maxime patiebatur in-
festum Iovem brutum atque he-
betem esse dicebat Hec
plerisque etiam in eodem mo-
nasterio constitutis incre-
dibilia videbantur nedum
ego confidam omnes qui hec
audierint credituros Nam nisi
inestimabilem vitam atque
virtutem martinus egisset
nequaquam apud nos tanta
gloria preditus haberet
Quamquam minime mirum
si in operibus martini infir-
mitas humana dubitaverit